

pravis, abundant humoribus, ita & hic idemmet eventurum incredibile non est. Num autem ex victus pravitate causa recidivæ peti possit, hæremus, cum si hoc detur, mirum omnino sit, cur iteratò corripiantur tam pauci, cur tam multi Contagium eludant, qui tamen ratione Dispositionis manifestæ ad fomitem suscipiendum satis idonei videbantur.

25. *Moventes* Causæ, quæ & *Ebullitionis* dicuntur variæ sunt, *Esculenta, Medicamenta, Motus, Balnea*: inter omnes palmam habent *Aer & Contagium*. Ille, quatenus peccat Viribus occultis, non movet solum Humores vitiosos in corpore latentes, sed & ipse vel corrumpit, vel saltem corruptionem auget, si nimium vigeat Malignitas Contagii vires extra Controversiam, notæ sunt, præsertim in Variolis quorum Contagium potens ob Suppurationem habetur, quæ causa ut non satisfacit, ita illud per omnia verum esse jure meritoq; inficiamur.

26. Causæ iste *Moventes* etsi sint communes omnibus, & per ætatem sæpiùs, rarò tamen agunt, nisi adsit *Dispositio*, abest autem cum expurgatum jam est illud fermentum. Nec tamen *Dispositio* attenditur solum *occulta* illa, sed & *manifesta*, quæ est temperies calida & humida, qualis est Puerilis, unde Pueros & Infantes frequentius, etiam per constitutiones Epidemias, ad excretionem hanc solennem irritari ferè quotannis experimur.

27. Ista autem omnia, tam Variolis quam Morbillis communia esse possunt, nondum tamen liquet, cur aliàs Variolæ aliàs M. erumpant. Ad specificam certè corruptionem, quæ alia atq; alia diversis Temporibus, cum B. Sennerto hic confugiendum, quæ cum explicari nequeat, Curiositas etiam nostra non omnino potest exsatiari. Et hæc de Causis, quas probabiles magis esse quàm demonstrativas ultrò fatemur. Nec enim alii, nec ipsi nobis sine hæsitatione satisfacimus, interim nos attulisse ea, quæ rationi maximè sunt consentanea, non desperamus.

#### D I F F E R E N T I Æ.

28. Differunt Variolæ ratione *Quantitatis*: Sunt enim *Paucæ, Copiosæ, Majores ad lupini magnitudinem die Schaffes blattern /*

B

blattern /